



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Vita Et Epistolae Ioannis Papae X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

Anastasi  
papæ tem-  
pus sedis.

bolo posita esset. Defuncto Leoni in oriente frater illius Alexander homo nefarius, anno ætatis suæ 20. vna cum Constantino imperatoris Leonis filio puero succedit in imperio, & post sextum mensem imperii, propter contemptum Dei, & sanctorum imaginum, infami exitu, vt tradunt Curopalates & Aretas, mortuus est, solique Constantino imperium reliquit. Anastasius papa, cum sedisset annos duos & menses totidem, obiit anno Redemptoris nostri 912. sepultus est in basilica sancti Petri, vt habet epitaphium illius, quod ex Manlio recitat Baronius.



## V I T A

## L A N D O N I S P A P Æ.

ANNO  
CHRISTI  
912.

Lando  
quâdo pon-  
tificatum  
adeptus?

**L**ANDO patria Sabinus, Trani filius, successit Anastasio pontifici anno Christi nongentesimo duodecimo, tempore Constantini octavi imperatoris orientalis. Hic ad importunam instantiam potentissimi, nobilissimi & impudentissimi scorti Theodoræ, quæ duarum filiarum, alteram Maroziam Sergio papæ, Theodoram vero alteram Adelberto marchioni Tusciæ prostituerat, & per hoc monarchiam vrbs tenebat, Ioannem, quem illa turpissime deperibat, ex Rauennate presbytero episcopum Bononiensem creauit, defunctoque Petro Rauennate archiepiscopo, eundem in eiusdem ecclesiæ Rauennatis archiepiscopum transtulit. Et paulo post quam rem tam foedam peregisset, inquit Luitprandus libro 2. cap. 13. ex hac vita migravit.



## V I T A E T E P I S T O L Æ

## I O A N N I S P A P Æ X.

ANNO  
CHRISTI  
912.

Ioannes  
papa per  
Theodo-  
ram mer-  
etricem in  
sedem pon-  
tificiam ele-  
uatus.

**I**OANNES, de quo supra in Landone, ex archiepiscopo Rauennate factus est pontifex, vel potius pseudopapa, anno Domini nongentesimo duodecimo, tempore Constantini imperatoris orientalis. Theodora meretrix impudentissima in huius speciei decorem vehementer exardens, Landoni pontifici subrogari procurauit eundem, quem ipse Lando ex Bononiensi episcopo archiepisco-

pum Rauennatē ordinauerat. Fecerat illud Theodora, inquit Luitprandus, ne amasi ducentorum milliarium interpositione, quibus Rauenna sequestratur a Roma, rarissimo concubitu potiretur. Ita impudicus homo meretricis viribus Romæ pollens, factus est pseudopapa & nefarius sedis inuasor. Quod vt fieri potuisse credas, memineris lector, Theodoram, vt testatur Luitprandus, duas habuisse filias, vnā Maroziam nomine, quam Sergio pseudopontifici prostituit; alteram Theodoram, quæ per adulterium ex Adelberto Tusciæ marchione suscepit Albericum, qui hoc tempore vrbis Romæ principatum vsurpabat, eique fere solus dominabatur: præterea Maroziam post obitum Sergii nupsisse Vvidoni filio Adelberti legitimo Tusciæ principi, cuius tanta erat potentia, vt rex potius quam marchio videretur appellandus. His fluctibus agitabatur nauicula Petri: verum Christus in ea dormiens patiebatur illam istis procellis operiri & immergi; sed non plane absorberi. Nam liberatam ab infinitis hæresibus contra grauissima scandala reddidit adeo tutam, vt qua de causâ hæretici nouatores ecclesiam velut impii blasphemant, eandem ob causam filii eiusdem ecclesiæ Deo grati Deum laudent & benedicant. Initium pontificatus Ioannis ad annum Christi 912. referendum esse, certo argumento colligitur ex chronico Cassinate Leonis Ostiensis lib. i. cap. 55. vbi ingentem victoriam de Sarracenis obtentam dicit contigisse anno Redemptoris nostri 915. indictione 3. inuasionis vero Ioannis anno 3. Quod si verum est, opus est affirmare eum anno 912. se in sedem apostolicam intrusisse. Ex rebus sub hoc pontifice gestis verisimile esse colligitur, quod qui inuasor, fur & latro ingressus erat, accedente cleri consensu legitimus Romanus pontifex haberi cœperit, quando copiis suis cum Alberico filio Adelberti marchionis Tusciæ coniunctis, cum eodem contra Sarracenos in præliū venit. Nam post Sarracenos debellatos diuersæ legationes ex diuersis orbis partibus pro palliis aliisque rebus implorandis ad eum missæ leguntur. Ad referendam gratiam Berengario pro auxilio quod contra Sarracenos tulerat, eundem mense Septembri anno 915. imperatorem inunxit. Ex delictis pluribus retroactis conscientia fauciatus, animi dolore languens, legatū misit Compostellam ad venerandum corpus

Theodora  
per quos  
Vrbi domi-  
nata fue-  
rit.

Quando  
Ioannes pa-  
pa factus?

Acta Ioan-  
nis papæ  
probant  
eum post  
actam pæ-

*Concil. Tom. 25.*

A ij

nitentiam  
in sede con-  
firmatam.

sancti Iacobi apostoli, deditque literas ad sanctum Sisenandum eiusdem ecclesiæ episcopum, petens pro se iuges preces apud sanctum Iacobum Deo offerri, vt in hac vita, & in hora obitus sui Deum propitium habeat. Cumque Sisenandus in peruestigandis Romanæ ecclesiæ ritibus totus intentus, inuenisset eos in multis plane diuersos esse ab iis qui in missali Hispanorum Mozarabi nominato continebantur, legatis pontificiis ex Hispania discedentibus suum ille adiunxit, per quem a Ioanne papa facultatem accepit emendandi ritus missalis sui in iis quæ maioris momenti viderentur. *Ambrosius Morales chron. Hispan. libro 15. cap. 47.*

Idem pontifex Hilduinum Tungrensem episcopum, quem clerus & populus elegerat, reiecit, & Richarium abbatem a rege propositum ordinauit, eique causam & controuersiam biennalem adiudicauit. *Flodoardus.* Seulfo Rhemenfi archiepiscopo post Heriueum defunctum pallium misit. Cum hoc Heribertus comes Aquitaniæ potentissimus pactum iniuerat, vt filius suus præficeretur Rhemenfi ecclesiæ; ea nimirum intentione, vt potestate vngendi reges penes Rhemensem constituta, rex Galliarum vngeretur, quem ille electum vellet. Dum ergo ministri comitis morâ impatientes Seulfum archiepiscopum propinato veneno e medio sustulissent, filius Heriberti comitis, puer nondum quinquennis, (proh scelus inauditum) electus est Rhemenfis archiepiscopus. Factum plane monstruosum nunquam hætenus in orbe Christiano visum nec auditum, imo nec putato mente conceptum, Ioannes papa non modo non improbauit, sed factam potius electionem ratam esse voluit, muneraque episcopalia Abboni Sueffonico episcopo commisit & delegauit: suoque hoc facto infamis pontifex posteris exemplum præbuit, vt complures principes non tantum hoc, sed etiam subsequentibus seculis (proh dolor) adolescentulos sibi sanguine iunctos in summas cathedras maximo malo ecclesiarum promoueri procurauerint. Opus sane tali pontifice dignum, quem infamis femina infami opere in solum Petri intruserat. *Flodoardus libro 4. cap. 19.*

Quinquen-  
nalis puer  
fit Rhemē-  
fis archie-  
piscopus.

Huius temporibus ecclesia Constantinopolitana inter Euthymii & Nicolai patriarcharū fautores schismate diuisa, vnita est, sublataque est controuersia illa de trigamia,

quæ occasione Leonis sapientis quarto nubentis Constantinopoli oborta fuit. *Curopolates*. Henricus post obitum Conradi factus est rex Germaniæ, qui cum velatam viduam Eruini senioris filiam duxisset vxorem, de sacrilegio correptus, illa deserta, pedibus Romam contendens pœnitentiam egit. Ad subiugandos Lotharingos profectus, per legatum Caroli Simplicis, dono accepit manum sancti Dionysii auro inclusam. Berengarius imperator, cum in odium Rodulphi regis fœdus iniisset cum Sarra- cenis, a suis occisus est. *Luitprandus*.

Cumque post hæc omnia Ioannes papa annos sedecim sedem tenuisset, Vvido Tusciæ Marchio, suasu Marozii coniugis, quæ quondam Sergio papæ prostituta fuerat, eundem propter Petrum papæ germanum, quem summa inuidia prosequabantur, sede amotum in carcerem coniecit, atque in eodem non multo post defunctus, vel cervicali ori eius imposito pessime suffocatus fuit; atque dignum suis sceleribus finem accepit inuasor & iniustus detentor sedis apostolicæ; vt qui per impudicam matrem Theodoram sacrosanctam sedem violenter arripuit, per filiam æque impudicam iusta Dei vindicta eiectus, & in carcerem coniectus, ea simul cum vita caruerit. *Hæc ex Luitprando & Flodoardo Baronius.*

Quamdiu  
Ioannes  
sederit.

E P I S T O L A  
C A R O L I I I I . R E G I S  
A D E P I S C O P O S R E G N I S V I .

Aduersus Hilduinum ecclesiæ Tungrensis peruasorem, cuius loco Richarium ordinari iubet.

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Carolus vir illustris diuina propitiante clementia rex Francorum omnibus archiepiscopis & episcopis in regno nobis a Deo commisso constitutis pax & salus ab eodem Deo æterno.*

QVIA diuinæ propitiationis beneficia, quæ ab ipso ab ipsis crepundiis experti sumus, nullatenus enumerare possumus; idcirco laudem Domini loquetur os meum, & benedicet nomen sanctum eius in sæculum sæculi. Vnde quia pluribus nostris exigentibus meritis multotiens

A iij

aduersa quæque sustinuimus, credimus non hoc ad nostra damnationis meritum, sed ad gratiam suæ reconciliationis nobis fore permissum: vt flagellis eius eruditi, discamus peruersa cauere, & in cunctis eius voluntatibus parere. Sicut vobis de multis notum est, cum olim quidam nostri fideles, a nostra debita fidelitate exorbitantes, vitam & regnum nobis auferre moliti sunt, euntes post inimicos nostros, eisque familiariter inhærentes, res & episcopia nostri regni ab ipsis dari sibi concupierunt.

## CAPVT I.

Vt ergo de multis taceamus, vnum, qui nobis nostris visceribus serpentinum virus infudit, vestræ sanctitati propalauimus; Hilduinum videlicet, qui contra regalem agens potestatem, contra quoque Apostoli dicta, vbi dicitur: *Deum timete, regem honorificate.* & : *Non est potestas nisi a Deo.* & : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: non est enim potestas, nisi a Deo.* & aduersus citharædi Dauid dicta, vbi ad Dominum loquitur: *Imposuisti homines super capita nostra.* Quique vltra Rhenum ad inimicos nostros proficiscens, minimeque reminiscens sacramentorum suorum nobis promissorum, eaque retro dorsum abiciens, ab Henrico inimico nostro episcopium Tungrensium ecclesiæ expetiit, suaque damnatione contra omnia statuta tam sacrorum patrum, quam regum videlicet antecessorum nostrorum, vsurpauit. De qualibus in libro regum capitulari ita dicitur: Si quis præsumpserit quam non meruit a principe vel seniore iusto dignitatem, sacrilegus habeatur. & beatus Gregorius: Sicut qui inuitatus reuinit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus: sic qui vltro ambit, vel qui importunus se ingerit, procul dubio est repellendus. Nam qui nititur ad altiora contendere, quid agit nisi vt crescendo decrescat? cur non perpendit quia benedictio illa in maledictum conuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus promouetur?

## II.

Cum quidam pestiferi viri, vt supra memorauimus, a nostra fidelitate deuiarent, conuocauimus archiepiscopos præfules xvi. nostri regni. Nonnullos etiam proceres, marchiones, & comites, optimatesque, vt eorum consilio, auctoritate, atque virtute tantæ vesaniæ resisteremus.

3. Pet. 2.

Rom. 13.

Psal. 65.

Lib. vii.  
epist. 110.

Inuentum est vt noua gibborum genera nouis medicatio-  
nibus secarentur ac sanarentur, pellentes eos episcopali  
auctoritate, sacrorumque Canonum constitutione, a cœ-  
tu & consortio Christianorum. Quorum præsumptioni  
ac nefandæ tyrannidi Hilduinus se immiscens, datis Hen-  
rico suisque proceribus complurimis auri argenti que pon-  
deribus, non solum cum eis scienter participauit, sed etiam  
ex thesauris ecclesiæ Tungrensis, quos instinctu diabolico  
rapuerat, vel furatus fuerat, quibusdam minis ac terrori-  
bus egit, vt Herimannus Agrippinæ ciuitatis archiepisco-  
pus, per violentiam Henrici suorumque fidelium, illum in  
pontificem consecraret. Nam si non fecisset, sicut ipse ve-  
nerabilis archiepiscopus nobis postea in præsentia pluri-  
morum retulit, sibi vitam resque ecclesiasticas auferret,  
omnemque familiam trucidaret, ac illorum bona diripe-  
ret. Ideoque absque legitimorum antecessorum auctori-  
tate eum consecrauit, vt ipse adhuc testatur, sed tantis  
terroribus ac diris crudelitatibus coactus. Vnde in Nicæ-  
no Concilio ita ad locum inuenitur: Si quis ex clero de-  
prehensus fuerit cum excommunicatis communicare, Conc. Nic.  
Can. 5. etiam ipse priuetur communione, tamquam qui regulas  
confundit, quæ longe lateque in diuersis Conciliis & ca-  
pularibus regum de excommunicatis inueniuntur.

## III.

Idem etiam Hilduinus res nostri regni ex præfato epi-  
scopio inuasit, diripuit, & pro libito abduxit, agens contra  
statuta Anacleti papæ, vbi dicitur: Sanctus Anacletus, qui Anacletus  
epist. 1. ab ipso Petro apostolo ordinatus est presbyter, postea in  
fede Roma successor illius factus episcopus, cum totius  
mundi sacerdotibus iudicauit. Qui abstulerit, inquit, pa-  
tri vel matri aliquid, homicidæ particeps est. Pater noster  
sine dubio Deus est: mater vero nostra ecclesia est, quæ  
nos in baptismo regenerauit. Ergo qui pecunias Christi  
& ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est, atque  
homicida in conspectu iusti iudicis deputabitur. Qui ra-  
pit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui au-  
tem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium fa-  
cit, & vt sacrilegus iudicandus est.

## IV.

Præfatus denique Hilduinus thesauros ecclesiæ Tun-

grensis & Aquisgrani palatii, iuxta beati Lamberti corpus martyris in quadam arca positos, auida cupiditate rapuit, eosque inimicis nostris, suis videlicet fautoribus, contulit, & ecclesiæ abstulit. De quo quibusque huiusmodi sacri Canones ita decernunt: Si quis inuentus fuerit aliquid de ministeriis ecclesiæ vendidisse vel abstulisse, qui sacrilegium commisit, placuit eum in ordine ecclesiastico non haberi. Vnde & beatus Augustinus XLVII. euangelii homilia Ioannis dicit: Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas: & ne contempnas, fur hic sacrilegus est, non qualemcumque fur loculorum, sed dominicorum loculorum, sed sacrorum. Et post pauca: Quicumque aliquid de ecclesia aufert vel fraudat, Iudæ proditori comparatur.

## V.

Hos ecclesiæ thesauros episcopis, & comitibus, & fautoribus, pro sua ordinatione dedit, non præ oculis habens statuta Africani Concilii, quibus præcipitur vt nullus per pecunias ordinetur, ita inquit: Si quis episcopus per pecunias obtinuerit dignitatem, deiiciatur, modis omnibus abscidatur, sicut Simon magus abscissus est a Petro. Item in Concilio Calchedonenfi: Si quis episcopus, presbyter, aut diaconus sub precio Spiritus sancti gratiam obtinere voluerit, proprii gradus periculo subiacebit; & nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat, sed anathematizetur.

## VI.

Iam dictus Hilduinus ad cumulum suæ damnationis, ante venerabilis Herimanni præsentiam veniens, super sacra nefanda iuravit, quod ego Carolus episcopium Tungrense dederim, & quosdam ex clericis & laicis iurare compulit. Quod quam sit absurdum quamque vitandum, sparsim sanctarum scripturarum testimonia approbant.

## VII.

Memoratus præterea Hilduinus per domnum Herimannum episcopum tertio vocatus ad Synodum, vt contra hæc quæ sibi obiiciuntur responderet, si iustam causam haberet, aut, si non posset, Canonum feriretur spiculis.

Epistola ad  
Petroclum  
& alios epi-  
scopos.

Qui quoniam quidem venire distulit, incidit sententiam Bonifacii papæ ita dicentis: Probat vera esse illa quæ aduersus se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minime vult.



vult. Et ne dubitet, quod ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum vt absoluator qui est innocens quaerit. Et post pauca: Confitetur enim de omnibus quisquis subterfugere iudicium posse dilationibus putat. Item ipse: Si adesse voluerit, praesens si confidit ad obiecta respondeat. Quod si adesse neglexerit, dilationem sententiae de absentia non lucretur.

## VIII.

Omnes tam clerici quam laici supradictae ecclesiae, nostram adeuntes sublimitatem, luctuosos vocibus innotuerunt, quod iam saepe memoratus Hilduinus cum suis praedonibus bona illorum diripuit, omnemque illorum facultatem & supellectilem abstulit, nihilque illis remansit, vnde saltem sibi victus sufficientiam adhiberent. Addentes etiam in precibus, vt vestro consilio citius ageretur, ne amplius praedae & direptioni paterent: sed illis ad ordinandum daremus pontificem Richerum, quem concorderiter elegerunt. De quibus videlicet omnibus hic capitulatum insertis vestrum precamur pontificium, vt propter Deum, & debitam quam nobis polliciti estis fidelitatem, pro viribus exinde adiuuetis, vt noster honor in huiusmodi negotiis amplius non decrescat, & status sanctae Dei ecclesiae stabiliatur.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> *Aduersus Hilduinum.*] Totius controuersiae summam compendio refert Flodoardus in chronico DCCCCXX. Hoc anno, sequenti quoque, agitur inter Hilduinum episcopum & Richarium abbatem de episcopatu Tungrensi contentio: siquidem rex illud episcopium Richario, quia Hilduinus a se desciuit, cui prius ipsum concesserat, dedit. Hermannus vero archiepiscopus Hilduinum ibi episcopum, eligente clero ac populo, fauente nec non Gisleberto, quem plurimi Lotharienses principem relicto Carolo rege delegerant, ordinavit. Carolus vero reuersus ad se Lothariensibus & ipso Gisleberto, Richario abbati, non Hilduino, ipsum episcopatum consentiebat. & rursus anno DCCCCXXII. Richarius, qui Romam profectus fuerat propter episcopium Tungrense, reuersus est ordinatus a Ioanne papa episcopus, Hilduino ab ipso papa excommunicato, qui etiam illo abierat.

EPISTOLA HERIMANNI  
ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS  
AD RICHARIVM ABBATEM.

Mittit ei literas Ioannis papæ, quibus Romam vna  
venire iuebantur.

*Magnifice venerando omnique dilectionis affectu veraciter colendo Richero abbati, Herimannus sanctæ Coloniensis ecclesiæ seruatorum Christi famulus, præsens & permanens vale in Christo.*

**S**ANCTIMONIAM vestram, vt sæpe solemus, etiam nunc denuo postulamus, quo nostræ senectutis imbecillitati impræsentiarum incumbenti, pia intentione memores, orationum vestrarum remedia, quibus plus omnibus indigemus, impendere non dedignemini: nihilo minus ambigentes quin idipsum pro virium sufficientia pro beatitudine vestra die noctuque agere minime cessemus. Ceterum intimetur almæ reuerentiæ vestræ, his nos diebus epistolam ex domino papa Ioanne transmissam accepisse: quæ quid contineat, sine permutatione literæ vel syllabæ, in hoc exemplari liquido perspicere licebit.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

\* *Richero abbati.*] Abbas erat Prumiensis monasterii. Gislebertus vero, quem Lotharienses ducem sibi adsciuerant, vt dictum est, comes de Capramonte dicitur a nonnullis.

EPISTOLA I.  
 IOANNIS PAPÆ X.  
 AD HERIMANNVM ARCHIEPISCOPVM  
 COLONIENSEM.

Iubet vt Romam veniat vna cum Hilduino & Richario  
 qui de Tungrensi episcopatu contendebant.

*Joannes episcopus seruus seruorum Dei reuerentissimo & sanctis-  
 simo confratri nostro Herimanno sanctæ Coloniensis  
 ecclesiæ archiepiscopo.*

CVM simus dominicæ plebis superna miseratione re-  
 ctiores, studiosius nos conuenit Dei præsidium pro  
 subditorum sæpe cogitare salute, ne frustratis, quod ab-  
 sit, animabus antiqui hostis insidiis, ante omnium pasto-  
 rem districtam cogamur soluere rationem: quia ideo fi-  
 delis seruus & prudens domini super familia constitutus  
 esse dignoscitur, vt congruo tempore det illis fructum.  
 Congruo tempore sacerdotes præpositi Deo fructû dant,  
 cum pro salute omnium sibi subditorum quod opportu-  
 num est offerunt. Et quia vestra fraternitas sententiam  
 Apostoli reprobauit operando, qui monet nullo modo  
 alicui leuiter manus imponere, cum Hilduinum, cano-  
 nicis sibi obuiantibus regulis, absque clericorum electio-  
 ne, & laicorum acclamatione, Gisleberti metu, episco-  
 pali infula decorare non denegastis, cum prisca consue-  
 tudo vigeat, qualiter nullus alicui clerico episcopatum  
 conferre debeat, nisi rex, cui diuinitus sceptrum collatum  
 est. Quo vero ordine Gislebertus hoc quod illi concessum non  
 est agere non metuit, vt arbitror, quia illicite præsumpsit,  
 rationabiliter imbecille permanebit. Tamen quia Riche-  
 rus, vt Caroli regis testimonium perhibet, atque nostri  
 dilecti filii Berengarii gloriosissimi imperatoris literæ te-  
 stantur, primitus a clero electus, & a populo expetitus est,  
 cur donum sancti Spiritus, quasi temporale commodum,  
 cui non licuit imponere non distulisti, omnino miramur,  
 cum scriptum sit: *Intelligens gubernacula possidebit.* In vete-  
 ri etiam testamento diuina lege sancitum est, vt sacerdo-  
 tes de sacrificio Domini pectusculum sumant. Non equi-  
 Concil. Tom. 25.

1. Tim. 5.

Prou. 1.

Leuit. 7.

*Jerem. 15.*

dem ob aliud, nisi vt in sacrificio discant, quid de semet-  
 ipsis ipsi suo conditori debeant immolare. Et cum nosmet-  
 ipsos Deo offerre sedulo debeamus, cur alios errantes se-  
 qui non contemnimus, cum scriptum sit: *Si separaueris pre-  
 ciosum a vili, quasi os meum eris?* Igitur quia magis hominis  
 quam Dei formidine metuistis, quod inutiliter gestum est,  
 nostra imbuti admonitione, vt citius emendare delectemi-  
 ni omnino monemus. Valde namque admirari non distu-  
 limus, cur contra rationem absque regis iussione agere  
 pertentastis, cum vobis reminiscantibus hoc nullo mo-  
 do esse debeat, vt absque regali præceptione in qualibet  
 parochia episcopus sit consecratus. Tamen mediante  
 Octobrio ad limina apostolorum cum Hilduino & Ri-  
 chero venire satagite, vt ante præsentiam nostri nostro-  
 rumque episcoporum coadunati, quid ex hoc canonica  
 iubeat auctoritas explicare non denegetur. Et si forsitan  
 pro Paganorum metu tunc venire non valetis, in Kalen-  
 dis Aprilis, omni occasione postposita, ad nos quanto-  
 cius, sicut superius statutum est, peruenite. Et tunc omni  
 errore radicitus extirpato, qui dignus inuentus fuerit, per  
 ostium ingrediatur in ouile ouium, & non aliunde, vt  
 fur æstimetur. Quia nos Caroli regis decus nullo modo  
 auferre volumus, sed pro vigore atque dilectione, vel  
 consanguinitate nostri dilecti filii Berengarii gloriosissi-  
 mi imperatoris, vt prior antecessorum suorum regum  
 mos fuit, eum ita illibatam atque inconcussam domina-  
 tionem obtinere delectamur: & sicut priores suos an-  
 tecessores, nostrorum antecessorum auctoritate, episco-  
 pum per vnamquamque parochiam ordinare probabi-  
 liter statutum est, ita vt Carolus rex faciat confirmando  
 iubemus. Tamen vsque ad illius temporis, sicut superius  
 statutum est, Leogis episcopatus in vestra maneat pote-  
 state: ita vt Hilduinus illic aliquod sacerdotale ministe-  
 rium nullo modo audeat exhibere.

His apostolicis Romam vocati præceptis, eiusdem  
 domni papæ sanctorumque Canonum auctoritate, eo  
 vos præscripto ineuitabiliter inuitamus tempore. Vale-  
 re vestram optamus almitatem, semper memores vestri  
 memoris.

EPISTOLA II.  
 IOANNIS PAPÆ X.  
 AD CAROLVM III. REGEM.

Significat se ad Herimannum scripsisse, vt cum Hilduino  
 & Richario Romam veniat: Hubertum etiam  
 ob ecclesiæ Romanæ deprædationes  
 excommunicasse.

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Carolo  
 glorioso regi.*

CVM sincera in vobis caritas, atque perfecta mansue-  
 tudo clarescat, quia diuina dispensatione hoc agi-  
 tur, conditori nostro Deo immensas gratiarum actiones  
 referimus. Vnde hortantes vestram filiationem mone-  
 mus, vt semper solliciti manentes, subditos quoque vo-  
 bis commissos per abrupta diutius ire non permittatis.  
 Quia in hoc vestri regni sceptrâ sublimia manent, cum  
 Spiritus sancti dispensatione quod inutiliter gestum est  
 emendare non negligitis. Noster namque dilectus filius  
 Berengarius gloriosissimus imperator apostolatus nostro  
 literas ex Richero a vobis electo in Leodio, atque a cun-  
 cto clero & populo, transmisit: & qualiter Gislebertus  
 vester infidelis Hilduinum illic consecrare præcipiendo  
 non formidauit. Nos vero, prece dilecti filii nostri moti,  
 Herimanno archiepiscopo nostri apostolatus apices trans-  
 mittere studuimus, quatenus mediante Octobrio cum il-  
 lis pariter iunctus ad limina apostolorum non differat ve-  
 nire, vt tunc probabilibus documentis canonice qui di-  
 gnus est approbetur, qui vero indignus esse contempla-  
 tur, tunc reprobatus appareat. Vsq̄ue ad illud vero tem-  
 pus, vt Hilduinus in supradicta ecclesia, quæ Legia dici-  
 tur, aliquod regimen detinere, & sacerdotale officium  
 exhibere non audeat, commonendo præcepimus. Ta-  
 men quia dilectio nostri filii in vobis abundanter emanat,  
 dignum est sinceritas atque consanguinitas vestra vt in  
 illo promptius appareat; & ita fidissimus ex vestra di-  
 lectione permaneat, quatenus ex illius adminiculo in  
 præsentem cognoscatis. De hoc vero quod Gislebertus  
 contra vestra sceptrâ inutiliter gessit valde doluimus, eo

quod prisca consuetudo, & regni nobilitas censuit, vt nullus episcopum ordinare debuisset absque regis iussione. Et quia Herimannus archiepiscopus, magis hominis quam Dei formidinem metuens, Gisleberti iussione Hilduinum consecrare non distulit, hac pro ratione sententiam vocationis illi transmisisimus, vt mediante Octobrio, & si pro metu Paganorum venire tunc nequeunt, in Kalendis Aprilis, omni remota occasione, tunc nullo modo cum Hilduino & Richero venire differat. Quia tunc inibi coniuncti, ex decore vestri regni subtiliter colloquentes, ita radicitus hoc quod vobis per Gislebertum contigit extirpare non denegabimus, vt postmodum nec ipse, qui auctor iniquitatis contra vestra sceptragessit, nec alius aliquis audeat aliquam lationem vestro in regno inferre. Illud etiam vestra filiationi innotescimus, qualiter nos iuncti cum Berengario gloriosissimo imperatore dilecto filio nostro, ad Hubertum, vt depradationes atque incendia, quæ in sancta Romana ecclesia committere non formidauit, emendare studuisset, admonendo misimus: qui renitens, atque superba voce hoc contradicens, emendare noluit. Nos autem, secundum nostri ministerii effectum, illum sub excommunicatione misimus, eumque anathematis vinculo alligauimus cum omnibus suis sequacibus. Vnde vestra celsitudini hoc patefacimus, vt nullus vestri regni illum sequatur, vel ei adiutorium impendat, quia non solummodo qui eum sequuntur alligauimus, sed etiam qui ei adiutorium impendere delectantur.



<sup>a</sup> **CONCILIVM CONFLVENTINVM**  
OCTO EPISCOPORVM, NE CHRISTIANI  
intra septimum gradum cognationis matrimonium  
contrahere præsumant, anno Domini DCCCCXII. ha-  
bitum, tempore Ioannis papæ X.

ANNO  
CHRISTI  
912.

N O T A.

Iuo part. 9. cap. 66. <sup>a</sup> *Concilium.* ] De tempore, loco, rebusque in hac Synodo gestis, ista apud Iuonem: *Anno dominica incarnationis nongentesimo duodecimo apud Confluentiam iussu venerabilium principum Caroli videlicet*